

## De Dropacibus siue picationibus.

## C A P. LX.

**Q**UOD Græcis, Δράκασ, & Latinis Picatio, à pice dicitur, remedium est, quod vel toti corpori, vel certis interdum partibus adhibetur, & morbis diuturnis maxime conuenit. Duplex autem est, simplex vel compositus. Simplex, qui etiam communis, & *πίκτις* a hoc est, plicatio appellatur, ex pice sola liquata cum modico oleo, vt olei parte vna, picis partibus quatuor vel quinque conficitur. Eiusmodi applicatur partibus tabescentibus ad calefaciendum, sanguinis copiam alliciendã, sicq; carnem amissam recuperandam, vt Aegineta *b* ex Galeno, qui optimum medicamentum ad recuperandam carnem esse perhibuit, præsertim, si diutius parti adhæreat, nec sæpius vno die mutetur. Vt imur etiam in crebro vomentibus, affectuque coeliaco, quæ forma nil aliud est, quam plicatio. Alius est compositus, quo ad euocandam materiã è profundo ad superficiem, & ad partium calorem natium languidum excitandum vt imur, & præter picem & oleum c piper, pyrethrum, lepidium & similia recipit, dimidia nimirum ad oleum portione. Quod si vero magis exiccare, quam calefacere velimus, quod in membris paralyti affectis, & humidioribus corporibus obseruandum, ad picem & oleum sulphur viuum, sal & cineres samentorum addemus. Quod si vellicare velimus, etiam euphrobium miscebimus, quæ trita liquefactis adiiciuntur, vt maiorem calorem excitent.

*a Act. totv. I. ser. 3. c. 180.*

*b lib. I. c. 52.*

*c Materia posuit Or- bas. I. synops. 30. Act. totv. I. ser. 3. c. 180.*

S S

FOR-